UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas, Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera

Busaeus, Johannes

Mogvntiæ, M. DCVI.

7. Quid in communione. & post eam considerandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70978

Visual Library

hunc panem, viuet in æternum. Et: *niſi manducaueritis carnem filii hominis, nō habetis vitam in vobis.* 3. eſt, vt transformareris in Chriſtum, vt eſſes in Chriſto, & Chriſtus in te. *Qui manducat meam carnem,* inquit ipſe, *& bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo.* 4. eſt & primarius, vt imbibas ſpiritum Chriſti, per quem viuamus, inquit S. Bonauentura, cum illa humilitate, caritate, obedientia, amore paupertatis, mortificatione corporis, contemptu mundi & deſiderio multa patiendi, ſicut Chriſtus vixit.

MEDITATIO VII.

Quid in ipſa communione & poſt eam conſiderandum.

CONSIDERA ſummo mane eius diei quo communicabis, Dominū magno deſiderio te in Eccleſia expectare, vt in anima tua requieſcere poſſit: Deinde adeundo illam cogita, quanto gaudio efficiatur angelus tuus cuſtos, dum te comitatur eūtem, vt ſuum tuumq; Dominū hoſpitio recipias. Tertio eandem ingreſſus cōſpecto altari, in quo eſt ſacramentū, humilem illi in corde exhibeas reuerentiam auxiliumque B. Virginis aliorumve Sanctorum 1.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſtorum patronorum tuorum inuoca, vt te
poſtea ad communionem euntem comi-
tentur & gratiam dignè, & cum fructu
2. communicandi tibi impetrent.
Matt. Dum accedis altare cogita tibi dici, *Ec-*
25. *ce ſponſus venit: exite obuiam ei.* Venit ille
plenus deſiderio tecum manendi, plenus
caritate, benignitate, & omni bono. Tu
quoque illi obuia plenus deuotione, gau-
dio, reuerentia, & humilitate, dicens cum
B. Virgine, cum eſſet conceptura Chri-
Luc. 1. ſtum. *Ecce ancilla*, ecce ſeruus Domini, *fiat*
mihi ſecundum verbum tuum. 2. dum iam
ſumis, tecum ſic loquere. *Vnde hoc mihi vt*
veniat Dominus meus ad me? ſimulq; con-
ſidera quis ille ſit, qui venit, nempe crea-
tor & redemptor tuus, ac illud S. Franciſ.
vſurpa. *Deus meus & omnia. Quis es tu &*
quis ſum ego? adorans interim tota ſubmiſ-
ſione cordis eum tanquam Deum.
3. Dum ab altari receſſeris, age primo ma-
ximas Deo gratias, quod dignatus ſit ani-
mæ tuæ domum intrare. 2. te ipſum tuaq;
omnia illi in holocauſtum offer, ſicut ille
ſe totum tibi obtulit. 3. exerce actus amo-
ris quaſi ſpiritualiter eum amplexando,
tangendo, manus & pedes oſculando,
rogandoque vt tecum maneat. 4. expone
eimi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ei miſerias tuas, inſeruiendi ei deſidera, & pete, vt domum tuam optimis virtutib. exornet, gratiamq́; largiatur, vt diem illum in omni pietate tranſigere valeas, ne facile calor deuotionis pereat.

MEDITATIO VIII.

De frequentanda communione.

CONSIDERA, in Eccleſia primitiua quæ ab Apoſtolis gubernabatur frequenter, imò quotidie communicatũ eſſe, à qua frequentia omnem ſanctitatem & ardorẽ ſpiritus eius Eccleſiæ manaſſe certum eſt. Cõſtat enim, quo vſus ille poſtea magis elanguit, hoc ſanctitatem populi Chriſtiani plus imminutam. Vnde & hoc ſeculo, quo multis in locis vſus ille eſt reſtitutus, videmus quoque priſtinam refloreſcere pietatem & ardorem, Eccleſiamque multis nouis ſodalitatibus & religionibus augeri.

Conſidera, cum hoc ſacramentum 2. ſit animæ cibus, quo ipſa in vita ſpiritali alitur & roboratur, manifeſtè cõſequi, quo ſæpius hoc cibo alitur, robuſtiorem & perfectiorem in vita ſpiritali reddi. Adde, quod ſub ſpecie panis & vini Chriſtus id inſtituerit, vt indicaret nos eo ſæpius vti debe-